
IN NVPTIAS SERENISS. PRINCIPVM COSMI MEDICES ET *MARIAE MAGDALENAE AVSTRIACAE.*


Vaticinium.



FLORENTIAE.

Apud Criſtopherum Mareſcottum. 1608.


Superiorum permiſſu.



SERENISSIMO
COSMO MEDICI ETRVRIAE
MAGNO PRINCIPI.



T obseruantiæ, honoris, cultusq; testimonium daret
Leonardus Gherardius Biturgensis
Hoc Poematium in fœlicissimum eius
Coniugium à DEO OPT. MAX. præordinatum;
Heroasq; MEDICEOS domi forisq; gloria insignes,
Obsequentissimus dicauit.



IN
NVPTIAS SERENISS. PRINCIPVM COSMI MEDICES
ET
MARIAE MAGDALENAE AVSTRIACAE.

Carmen.

Nympha Flora, Thyberis Fluuius.


Esperidum Thyberine Pater regnator aquarum
Aeneadum scindens sinuoso flumine turres,
Ne stupeas lætos habitus, vestemq; micantem,
Flora ego sum Tuscas inter gratissima Nymphas
Nuncia magnarum rerum, nec nuntius olim
Fertur ad Aemathium tantus properasse Philippum
Resque die gestas Regi narrasse sub vno.
Arnum dimittens votis impulsa Dearum
Iordanis fluuij Iudææ regna secantis,
Liburnum petij Italiæ columenq; decusq;,
Atq; renascentis Carthaginis arce figuram.
Hinc FERDINANDI volucri conuecta trireme,
Inuicti STEPHANI munita Milite sacro,
(Nosti illum terrorem Asiæ, Libyæq; flagellum

Hipponis

Hipponis dudum duxiße ex Vrbe triumphum)
Parthenopes ducor felici sidere littus,
Littus ab externis perpessum fræna tyrannis
Contra elata mari Siculûm respondet in alto
Insula, quæ populo cumulabat tritica Romæ:
Hic feruere Gigas ætnea mole grauatus
Fertur, & in Superos vltrices vomere flammas.
Et procul æratis sulcantes nauibus æquor
Nouimus armatos Equites vexilla ferentes
Candida, pellentes latronam finibus Afrum.
Tendimus Jonium, apparent proiecta iacere
Moenia Nicopolis ferriq; ignisq; furore
Etruriæ Magni sub nomine & omine Regis.
Hinc Cypri occurrit regnum, foribusq; rechusis
Extendit claues, ardetq; excludere Turcas.
Hinc Jssum petimus celebrem iam clade Darii,
Tuscus vbi miles, transacta æstate, triumphans
Impleuit curuam captiuo milite classem.
Post varios cursus tandem, variosq; recursus.
INGRAMO Ammirante ratum, quo dextrior alter
Vasta peragrauit nunquam Neptunnia regna,
Nereus quem celebrat, sic eius facta coæquat
Pompei gestis, vno cum mense fugauit
Prædones, traxitq; duces in vincula Romam,
Vix Syriæ portus fugientis prendimus oras.
Adueniunt Nymphe Iordanis flumine nantes,
Lætanturq; simul, vocesq; ad sidera tollunt.
Ipsa Deis culta, & palmas amplica Dearum

Annueram

Annueram florenti omnes considere in herba.
Tum sic ante alias pulchras pulcherrima Chloris
Incipit effari mulcens concentibus auras.
Nympharum splendor, spes ò fidissima nostri
Expediam paucis, fuerit quæ caussa vocando,
Ne pigeat te, forsan & hæc audisse iuuabit.
Dura Palæstinus detrectat fræna tyranni
Ismaridum, tenditq; iugo subducere collum.
Sperat opem MEDICVM inuicta de gente, vocatq;
Magnanimum COSMVM regionis robur Etruscæ.
Nouit enim prolem generoso sanguine natam
Coniunctam Rhodani, coniunctam Principe Iberi
Illustres inter proauos clarosq; parentes,
Ortos fert Iudeas celeberrima fama per arces,
Plures commemorat MEDICES, qui tempus in omne
Per pacis, belliq; vices ad sidera nomen
Extulerint, celebresq; lares fecere per Indos.
Primo Sacrorum Proceres, Procerumq; regentes,
Tartarei regni terror, cum sacra recludunt
Atria, diuitiæ queis effunduntur in orbem,
Qui miseram Ausoniam, gentemq; vrbemq; Quirini
Barbaricis afflictam armis, & sanguine fœdas
Aras Cœlicolum mira pietate leuarunt.
Virtutem stupuisse tuam Ter Maxime CLEMENS
Augustum dicunt CAROLVM, post bella refecta
Hesperia, imperij cepit cum fronte coronam.
Grandia tum populi celebrarunt facta LEONIS,
Cum lepida Phœbi turba repleuerit Aulam,


Gesta

Gesta Ducum bello, Regumque trophea canenti.
Venerat atque alter credo demissus ab Aethra
Instaurare orbem, & populo dare iura petenti,
Fausta reducendo felicis sæcula Iani.
Proh dolor interiit, magnum decus occidit vnâ
Romulidũ Procerũ, et MEDICAE spes altera gẽtis.
Est etiam HIPPOLITVS cultuq; armisq; decorus
Hungaricis, animumque gerens ad bella peracrem,
Cardineos inter patres licet insitus Heros:
Sæpe graues curas Musis mulcere solebat,
Clarorum exemplo Regum, quos pondere pressos
Curarum argutis iuuat indulgere Poetis.
Et COSMVM agnoui placida grauitate verendum
Consensu populi reuocatum finibus Vrbis
Hadriacæ, Patriæque Patris cognomine dignum.
Cui meritis claro Græci, vatesq; Latini
Perpetuæ laudis celsum erexere theatrum.
Maiorem sed fama tulit, quem bellica Virtus
Reddidit horrendum, quem sensit territus hostis,
Oenotria concussa armis, & Marte furente,
Callidus audaces dum sternit victor Iberos.
Hinc Magnum COSMVM, cessit cui Tuscia fasceis,
Ausonia & cessura suos, nisi fata tulissent.
Cornua quin pelago fractus summiserat Hebrus,
Quando PIO fuerant coniunctæ foedere puppes.
Alma hic pace fruens Pisanum ornare Lyceum
Instituit, clarosq; Viros accire per Orbem
Germanum, Hispanum regalia dona paciscens.
Iam

Iam bene tractabat COSMVS gladiumq́; , togamq́; :
Sed magis extollit FERRANDVM fama per auras
Dum graue Romulei torqueret pondus Atlantis
Sidonio , tyrioq́; micans in murice Princeps .
Hic merito regno , sceptroq́; verendus eburno
Prodidit illustri LOTHARINGA Coniuge Natos ,
Progeniem genituram altos longo ordine Reges .
Aemulus & Patris Posuit per compita moles
Phidiacis fictas manibus , nec Martia Roma
Aequales habuit , similes nec barbara Memphis ;
Sic æterna locans subtraxit nomina lethe .
Hæc Syrij memorant omnes pueriq́; senesq́; ,
Christiadumq́; fidem implorant , & Numina Diuûm .
Adueniat sperata salus sub Principe COSMO ,
Et redimat victor Solymos , sanctumq́; sepulchrum .
Tunc domitas gentes , Tuscam regressus in Vrbem ,
Cedet FRANCISCO fratri , qui clarus in armis
Regna per Assyriam quæret , lætosq́; triumphos .
Pastoremq́; gregi functurum munere PETRI
Præficiet CAROLVM Puerum , sed cana loquentem ,
Tempora purpureo fuerint cum cincta galero .
Et tunc , fata sinent populos frænare rebelles ,
Si prius æternis coeant in fœdera tædis
Austriadum soboles , & cæli Regnator Etrusci .
Sic libani dixere Patres tunc Numine Diuo
Afflati . populisq; suis responsa dedere .
,, Non debitur Syrijs immani exire tiranno ,
,, Ni prius Austriadum iungatur Regia Virgo

Principe

,, Principe cum Magno Medices, Heroe supremo:
,, Ille mari terraq; potens penetrabit Eoos,
,, GOFFREDVSQ; alter statuet victo hoste trophea.
Hæc dixit Chloris, studiumque operamq; recepi
Fœdere Dannubium concordi iungier Arno.
Cum fuerim tuscos patrios regressa penates,
Mox cœlestis Amor regalia corda ligauit
Herois Medices, atque Austriacæ Heroinæ:
Nympha Iouis proles, Nympharum gloria prima,
Quæ colis Aonijs gratissima tecta Camœnis,
Tecta Ducum sedes, armis & lege potentum,
Quos non Cecropidum genuit, non terra Laconum;
Grandia narrasti totum celebranda per orbem,
Et iam prospicio, cœlis voluentibus, aurea
Sæcula, præclarosq; Viros remeare sub auras.
Noscitur hic COSMVS, iustissima cura tonantis,
Maxima Semideum celeri vastigia passu
Stringere, qui doctis mandarunt nomina fastis.
Iam tonuit læuum, fulgorq; ex axe refulsit,
Clarior in terris apparet lumine Titan.
Hinc video regni terrore horrescere Turcas;
Purpureos gaudere Patres, Sanctumque parentem,
Iam iam poscentes cœlestis Numinis Auram,
Regibus Etruscis donet feliciter annos,
Et fortunatam claro de semine Prolem.



DE

DE LVDIS IN NVPTIIS CELEBRATIS
Turca loquitur.

MAgnanimos sensi æternum cum fœdus iniri
Austriacos inter, Mediceosq; Duces:
Credideram Sperni crudelia spicula Martis,
Et pueri prendi tela, facesq; Dei.
Sors aduersa fuit, Mauors splendescit in armis,
Et iacet infelix carcere vinctus Amor.
En fulget victrix illinc Pisana iuuentus,
Commiscetque ruens miles in arma manus:
Hic Senensis Eques galea, hastaque superbus
Armatis toto pectore currit equis:
Christiadum nauis Turcarum obsessa quaternis
Puluere sulphureo mergit in amne rates.
Cedant Argolicæ pugnæ, Macedumque tremendum
Certamen vel quod martia Roma tulit.
Et Reges tam dura cient si ludicra bella,
Qualia me miserum prælia vera manent?

DE LVDIS ET CHOREIS
Equestribus.

BVccina dum cantus edit, dum martia pubes
Arma vocat, dum Echo vallibus arma sonat
Dumq; ruit glomerata phalanx, & quærit agonem,
Temaridum terror, Christiadumq; decus.

Ali-

Alipedem ad saltum cogit dum læta iuuentus,
Et iubet ad numerum ludere Bucephalos.
Dum COSMVS sublimis equo reflectere gyros
Imperat, & choreas ducere sessor ouans.
Vidit, & obstupuit telis Bellona corusca,
Fudit & iratis, talia verba sonis.
Si Princeps moderatur equos ratione carentes,
Ducit & ad nutus, imperioq; regit;
Non opus est armis, Solymos superabit auitos,
Nam domat arte feras, nam trahit arte homines.

